

oblatas, vel 3. per vocem auditam; primum modum soli Mosis tribuunt, vid. *Abarb. in Dan. p. 18. apud Frischm. l. c. § 9.* Sed non possunt probare Judæi, quod aliis quoque Prophetis e. g. *Davidi*, qui 2. *Sam. XXIII, 2, 3*, de semet asserit: *Spiritus Jehovæ locutus est in me & sermo ejus per linguam meam, dixit Deus Israël, mihi locuta est rupes Israël*, intellectualis rerum apprehensio non convenerit. Nam in dicto *Num. XII, 6*, Deus tantum de iis loquitur, quorum temporis Prophetias obtinere poterant. Unde non sequitur, omnium posteriorum hominum Prophetias tantum ad visiones ecstaticas atque somnia restringendas esse, exclusa ea, quæ per mentis à Deo immediate factam illustrationem fit, revelatione. Uberiorem dicti illius explicationem petere licet ex *Witsio l. c. p. 41. seqq.*, cui addatur *Frischm. l. c. Cap. 1. §. 20, 21. Cap. 2. §. 22.*, qui etiam varia Judæorum de prærogativa Mosis effata affert *Cap. 1. §. 6. seqq.*, ad quem lectorem remitto. Unicum tantum addam *Abarbenelis* locum, ubi ille, postquam de sapientia Salomonis dixerat: *Æstimatio, ait, gradus Prophetiæ & excellentiæ ejus non est secundum res istas (e. g. multitudinem reprehensionis, prædictionem futurorum, & patratiorem miraculorum, de quibus ante sermo fuerat) sed secundum intimiorem conjunctionem cum Deo, & majus donum spiritus in influxu, & secundum paucitatem intermediarum in influxu inter Deum benedictum & Prophetam.* Et quia fuit prophetia Mosis à Deo benedicto absque ullo intermedio s. spiritus alicujus, s. potentia alicujus corporalis, fuit gradus prophetiæ ejus major omnibus, prout testatur Scriptura (*Deut. XXXIV, 10*) non surrexit Propheta amplius in Israël par Mosis, quem nosset Dominus à facie ad faciem. Et hoc est, quod interpretantur Rabbinæ piæ memoriæ, quando dicunt, quod vaticinatus sit per speculum lucidum. Verba Rabbinica legi possunt in *Comm. Abarb. ad 1. Reg. c. III. fol. 211. Col. 1. ed. Lips.* Ast quantumque fuerint Mosis privilegia, ad ea tamen nullo modo pertinet, quod omnes reliqui Prophetæ per Angelum edocti fuerint, (quandoquidem id probari non potest) non verò *Moses*. In primis verò notandum, quod *ratione scriptionis* nulla unquam Pentatevchi præ reliquis scriptis divinis

nis